

5 KIX
10-152
LITERÆ PASTORALES

AD VENERABILEM CLERUM

DIOECESIOS CRACOVIENSIS.



UR2554

CRACOVIAE

TYPIS ACADEMICIS

1834.


1834

h. t. 45.266

**Attendite vobis et universo gregi, in quo vos SPI-
RITUS Sanctus posuit Episcopos regere Eccle-
siam DEI.**

Act. Apost. c. 20. v. 28.





CAROLUS VINCENTIUS SARIUS

SKORKOWSKI

**DIVINA MISERATIONE ET SACRAE
SEDIS APOSTOLICAE
GRATIA**

EPISCOPUS CRACOVIE

Universo Clero per Dioecesim Nostram Curae animarum addicto, salutem in Domino.

Officio Episcopalis Muneris, quo, licet indigni, in Dioecesi hac fungimur, intenti, atque de salute commissi Nobis divinitus gregis, ut par est, solliciti, nihil intentatum relinquere satagimus, quatenus a vitam christianam tum in Clero, tum etiam in populo fidem, pietatem ac disciplinam, nunc, proh dolor! ad incitas fere redactam, primitivae integritati restituamus, salutaribusque praeceptis et monitis mentes fidelium, imprimis vero eorum, qui vices nostras in

procuranda hominibus salute aeterna obeunt, ad aemulanda meliora charismata accendamus. Quum porro pervetusta sit in Ecclesia DEI, Sanctorumque Patrum usu et auctoritate probata consuetudo, ut quae ecclesiasticorum virorum officia moresque attingunt, ea certis monitionibus comprehensa, ab Episcopo Clero proponantur; idcirco Nos Beatissimi Nostri apud Superos ex sacro fonte Patroni, Divi nimirum CAROLI BOROMAEI Archipraesulis olim Mediolanensis, vestigiis insistendo, quae toties tum verbo tum scriptotenus vobis, Dilectissimi in pascendo grege Domini Adjutores, inculcavimus, eadem vel paucis in memoriam vestri revocare, atque ita propensissimae Nostrae in vos charitatis ac benevolentiae documentum quoddam oculis vestris subjicere, haud abs re censemus, adductis in medium praelibati Sancti Pontificis *ad universum Clerum, ad Parochos et alios curam animarum gerentes, necnon ad Parochiarum Lustratores* sive *Decanos* saluberrimis monitionibus.

Primo itaque Fratres et Filii in Xto carissimi, memores perpetuo estote vocationis, qua vos dignatus est Dominus noster: qua assidua recordatione memoriaque excitati, eam vos virtutem induite, ut videant alii quasi lumen aliquod vestram sanctitatem elucere. Quae si magna in aliis vitae christianae institutis requiritur, certe vobis, qui mysteriorum Dei ministri, divinaeque gratiae dispensato-

res estis, major inesse debet. Et sicut ordine sacro a reliquis hominibus sejuncti estis; ita a communis fidelium vitae usu segregati, praecipuum quoddam, atque hoc praestantius vivendi genus sequimini, quo ordinis dignitate praecellitis. Coelestem in terris vitam, tanquam Angeli DEI, moribus vestris exprimere usque adeo studete, ut a vobis divinarum virtutum exempla ad caeteros emanent. Una animi consensione unoque spiritu in iis elaborate, ut divino cultui, et divinarum rerum meditationibus, et orationi, et sacrarum ecclesiasticarumque literarum studiis vacetis; tum depositis saecularibus vanisque sollicitudinibus, ab omni vitio alieni, in via Domini recte ambuletis. —

Caritatem imprimis, quae seminarium est virtutum, omni studio amplectimini. Humilitatem, mansuetudinem, patientiam, justitiam, temperantiam, officiaque christianae pietatis reliqua colite. Quaecunque enim sunt vera, quaecunque pudica, quaecunque sancta ac religiosa, ea cogitate, eaque agite. Virtutes Sanctorum Patrum, quas praecipuas et quasi haereditarias vobis ad imitationem reliquerunt, non adumbrare solum, sed omnino exprimere certatim contendite. Utque illi, sic vos, abstinentiae et jeuniis dediti, clericalis disciplinae ac vitae castissimae studiosi, tum patriae coelestis sitientes, DEO servire assiduis divinarum laudum officiis, et in

**Ecclesia, quasi in perpetua vestra sacerdotali ele-
ricalique statione, continenter versamini.**

**Omnes, qui canonicarum horarum officiis devin-
cti estis, statas eas preces horarias recitate ad prae-
scriptam rationem ac ritum. Nec vero negligenter,
sed attente, pie, decore, supplicique mente illas
dicite. Expletis canonicarum horarum officiis, si-
quid in illis aut negligentia, aut alia culpa commise-
ritis, paululum colligentes vos, veniam a Deo
petite.**

**Qui Sacerdotes estis, Missae Sacrificium saepius
facite sancte ac religiose. Ad illud faciendum pa-
rate vos omni pietate in tam alti mysterii meditatio-
ne defixi, et quo purius id faciatis, propriam con-
scientiam diligenti, accurato, frequentique exami-
ne discutite; tum singulis saltem hebdomadalis atque
adeo saepius, et omnino semper, cum peccati mor-
talis conscii estis, confiteamini. In ea sanctissimi
Sacrificii actione, ab erroribus vel levissimis omnino
cavete. Quae de illo pie riteque celebrando praescri-
pta sunt, ea vos studiose diligenterque servate.**

**Haec sanctis precibus, praeter caetera, suppli-
ces, his praesertim afflictis rei christianae temporibus,
orate Patrem misericordiarum et Deum totius
consolationis, ut misereatur populi sui, ut fidelium
animos ad vitia fugienda, ad virtutesque amplecten-
das Sancti Spiritus sui ardore inflammet; ut e Prin-**

cipum Regumque animis evellantur, si quae sint, discordiae semina; ut ii una animi consensione Christi regnum propagare studeant, unamque Dei gloriam, atque Ecclesiae matris defensionem propositam habeant.

Quidquid vero temporis a divinis officiis, ab orationis, contemplationisque exercitatione, ab ecclesiasticis functionibus, et ab aliis necessariis actionibus vacuum habetis, non in otio, neque in desidia, nec vero in rerum novarum curiositatibus illud conterite, sed cum in sortem Domini vocati sitis, in ejus lege die ac nocte meditemini. Sacrarum igitur literarum studia diligentius colite, quae usque adeo complecti debetis, ut qui ea aspernetur, contra eum dicat Dominus: *Quia tu scientiam repulisti, et ego repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi.*

Lectione librorum spiritualium et clericalium, qui probati sint, animos mentesque vestras pascite; cum iis et praeceptorum Ecclesiae cognitionem, et preces horarias recitandi peritiam, et ecclesiasticorum rituum, caeremoniarumque notitiam conjungite. At libros de rebus jocosis, ridiculis, obscoenis, inanibus, procul abjicite. Nec vero musicas cantiones, ridicule, voluptarie, parumque pudice exaratas adhibete.

Quotidie aliquid ex Sacris Bibliis legite, ac si per ecclesiasticas occupationes licet, aliquid item ex

Sanctorum Patrum opusculis, atque alios praeterea libros de sacerdotalis, clericalisque vitae rationibus et officiis, de animarum cura, de christianae pietatis studiis et exercitationibus, de aliisque ejusdem generis pie confectos, ita legite, ut quaecunque ad vitae sanctae normam accomodata ex illis animadvertistis ac didicistis, moribus exprimatis.

Conciliorum item Provincialium ac Dioecesanorum constitutiones et decreta non percurrite solum, sed usque adeo studiose legite, ut quae legeritis, post etiam taciti vobiscum aliquando mente reputetis, ac videatis simul, non solum si quidquam est, quod contra illorum praescriptum egeritis, verum si quid aliud etiam est, quod ex eisdem exequi, praestareve omiseritis aut neglexeritis. Quod ut praestetis, curate omnino ac efficite.

Estis divina misericordia in ecclesiastico ordine constituti ad gloriam DEI conservandam [propagandamque: ideo tum ordinis vestri ministerium, quod explere debetis, videte; tum dignitatem ac decorem servate. In incessu, statu, gestu, ita vos praebete, ut ab ordinis, quem suscepistis, nomine et ratione nullo sane modo discrepetis, proposito vobis beati Ambrosii judicio, qui Clero adscribi hominem recusavit propterea, quod ejus gestus et incessus dedeceret.

Habitu non exquisito, non delicato nimis; rursus non sordido, non neglecto, sed gravi et talari utimini,

ut a decretis eo de genere editis, nulla in re vel minima discedatis. Coronam, quod est insigne Ordinis clericalis, conspicuam deserte.

Parca et frugali mensa contenti sitis, et suppellectili etiam modesta ac tenui potius. Ab omni splendido apparatu, pompaque saeculari abstinete. Imagines domi non profanas, sed eas habete, quae pietatis et religionis argumentum et adjumentum praebent. In omni vita a fastu, luxu, ambitu, ambitione et a vanitate longe refugite.

Nec verbis quidem praescriptum vitae modum pervertite. Nihil scurriliter, nihil jocosè, nihil turpiter loquamini. Absint a vobis maledicta, obtrectiones, curiositas, levitas, assentationes et nugae.

Temperantiae clericalis disciplinam vobis praescriptam in reliquis etiam tenete. Commessiones, computationes, convivia publica laicaliave, tum maxime, in quibus mulieres intersunt, evitate.— Hospites excipite, at in illis excipiendis intra parsimoniae fines vos continete, ita, ut clericalis frugalitatis, non sumptuosi convivii testes illos habeatis.

A ludis et spectaculis procul estote, *sensus autem vestros ita dirigite, ut cum a Deo utiliter dati sint, tanquam rationis ministri, ne eos perperam adhibeatis, sicut satellites cupiditatum. Sit igitur vester oculorum aspectus simplex et pudicus; aurium sensus castus et prudens; casta mens, casti omnes sensus.

vitae et morum consuetudo casta et spiritualis Ad eorum sacerdotum, qui in ejusmodi vitae studiis ac disciplina exercitati sunt, familiaritatem vos adjungite, ex qua nobis vestrae ad sancte agendum progression-
nes constant.

Ad castitatem autem conservandam munite omnem viam: legite propterea saepe illum (inter opera beati Cypriani Martyris) de singularitate Clericorum librum, qui vos in hac, ut in aliis instruet virtutibus. Suspectarum autem mulierum consortium omnino vitate. Infamulatu laicorum ne sitis, multo minus faeminarum, quamvis nobilium, nec aedes vestras locationi laicis date, quorum vita moresque suspecti sint.

Saecularibus negotiis, ut est S. Pauli Apostoli documentum, *ne vos implicate*. A cujusvis generis mercatura quaestuosa, omni negotiatione, praediorum conductione, tum aliis, prorsus cavete. Ne pecuniae, lucrive avidi sitis. *Nemo potest servire Deo et mammonae: aut enim unum odio habebit et alterum diliget; aut unum sustinebit, et alterum contemnet*, inquit Xtus Dominus. Si qui pauperes estis, ne cupiatis divites fieri, ut ne incidatis in tentationes multas, et in laqueum diaboli.

Paupertatem vestram ne moleste ferte: paupertatem dilexit et docuit coelestis magister Xtus, qui nascens in praesepio ponitur, et nudus in cruce mo-

ritur. Scitote paupertati socias adjungi sobrietatem, abstinentiam, et reliquas virtutes, quibus praelucere oportet Ministros Christi.

Proponite vobis Sanctorum veterum Patrum vitam, qui lucrum non spectabant, temporalia non quaerebant, et nihil iis tamen deerat, imo in paupertate illis aliquando abundabat, quod aliis erogarent. Nec igitur, quia tenuem redditum habetis, lucrum quaerite, nec quacstum appetendo, injuriam vestro ordini facite, avaritiae sordibus volutati.

Non saeculi vos mercatores, non mammonae ministri estis, sed Christi mercatores: nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, sed bonorum operum abundantia cum caritate conjuncta, facite thesauros in coelis. Studete lucrari animas Deo, et coeleste horreum augere. Exemplo Sanctorum, vos paupertate, sobrietate, et parsimonia ita agite, ut non modo a supervacanearum rerum usibus abstinentes, sed vestro etiam vos defraudantes victu, Ecclesias vestras et Altaria exornetis; sarta tecta habeatis; sacra suppellectili instruatis; alienis etiam necessitatibus subveniatis, et pauperibus opitulemini.

Qui vero uberiores ecclesiasticos fructus habetis, Ecclesias, e quarum praediis fructus percipitis, eo magnificentius et augustius, quo amplioribus donis, bonisve, augustiorique liberalitate illae dotatae sunt, illustri structura, praeclaro opere reficite,

egregiisque muneribus exornate, tum omni ecclesiasticae suppellectilis apparatu instruite.

Christi visceribus substantiam ecclesiasticam erogate, pauperibus scilicet, peregrinis, viduis, pupillis, aegrotis, in vincula coniectis, captivis, quibus egentibus et esurientibus, cum subvenire possitis, si alimenta necessaria denegatis, violatae charitatis rei estis in conspectu Domini. Memores estote ejus, quod a S. Ambrosio scriptum est, *sua fideles eo animo obtulisse Ecclesiae ministris, ut per eorum manus, quorum fidei atque integritati summa omnia tribuebant, ad pauperes pervenirent.* Vos item alii, quicumque estis, quorum fidei Christi patrimonium proprie ad divini cultus pauperumque usum commissum est, cavete, ne ambitione vel cupiditate prolapsi, in alium, quam cui addictum est, convertatis, atque propterea sacrilegii rei damnationem aeternam subeatis.

Humilitati studete, charitatis opera praestate; induimini Dominum Jesum Christum, Sanctorumque Ejus facta imitamini, ut et horum imitatione, et Illius imprimis divinis praeceptis institutisque conformati, in vocatione, qua vocati estis, digne Deo ambuletis; tum vitae vestrae splendore laicis hominibus lumen praeferatis ad vitam sancte instituendam, ut et vos repositam vobis justitiae coronam demum percipiatis.

Omnes praeterea et singuli, qui Ecclesiae ministerio adscripti aliquomodo estis, dioecesim et Ecclesias, quas in ea obtinetis, quibusve adscripti estis, stationes vestras, in quibus manendum vobis sit, putate; in illis residete ipsi, et debitis muneribus atque oneribus satisfacite. Alia item agite ac praestate ex praescripta conciliariis decretis fructuosae salutarisque residentiae ratione.

Parochi praeterea et caeteri quicumque estis, etiam Praepositi, Archipresbyteri, aliive, qui animarum curam geritis, praeter ea, quae vos cum reliquo Clero communia universe monuimus, illa etiam, quae praecipue de vobis decreta sunt, praestate omni sollicitudine.

Imprimis oves vobis concreditaе cognoscendae sunt, et appellandae nominatim, pascendae et custodiendae. Animarum igitur numerum in catalogum redigite. Eorum qui baptisantur, qui item confirmantur, et compatrum etiam, qui adhibentur, nomina describite. Matrimonia in codicem referte. Parochiae vestrae incolarum vitam et mores investigate.

Indagate omni studio, siqui haeresi contaminati sint, aut suspecti, aut qui sint, qui haereticorum libros habeant, vendant, emant, importent, vel legant. Investigate praeterea de iis, qui in vestra Parochia docent, eorumque vitam, mores et fidem

observate. Cavete et videte, ne superstitiones, magicae cantiones, et aliae ejusmodi diabolicae superstitiones in populo vestro sint. Cognoscite publicos peccatores, corruptores aliorum, concubinarios, adulteros, usurarios, blasphemos. Cognoscite etiam alios populorum corruptores, qui festis diebus, non DEO, sed aleis, ludis, choreis, diabolo serviunt, quique festorum dierum cultum quovis modo violant: illos omnes ab ea male agendi corruptela revocare ac detertere omni pietatis officio studete; tum Episcopo etiam, si opus erit, significate, ut pro curae episcopalis officio, salutare remedium afferatur.

Rursus agnoscite etiam pauperes, viduas, pupillos, caeterosque aliena ope egentes, quibus et salutari consilio, et consolatione, et re subvenite; aut si minus re potestis, cohortatione alios accendite ad eos sublevandos. Seorsum etiam locupletes parochiae incolas convenite, quibus pauperum egestates proponite, et ostendite eis divitias a DEO propterea etiam esse tributas, ut inopibus succurrant.

Pascite imprimis populum vobis commissum praedicatione verbi divini, salutaribus monitis, administratione item Sacramentorum, exemplo et oratione. In verbo DEI exponendo plane observate, quae vobis praescripta sunt. Pueros festis

dominicusque diebus, in doctrinae christianae rudimentis instruite. Provectoris aetatis homines ad eadem intelligenda invitate. Patres matresque familias monete, ut filios, filias, caeterosque, quos in familia habent, ad statas doctrinae christianae scholas ipsi conducant. Eorum, qui in scholis adscripti sunt, operam ad hoc institutum adhibete, curateque, ut inter eos charitas, morumque disciplina conservetur.

Instruite etiam eos, quam religiose non solum in Missae Sacro, verum etiam in divinis aliis officiis versandum. Quando standum, quando genua flectenda, quando assurgendum. Quam valde, dum illa fiunt celebrantur, fugiendae confabulationes, colloquia, deambulationes, strepitus, clamores, imo vero inanes cogitationes, quibus a pia meditatione, et mysteriorum, quae aguntur, contemplatione, religiosaque oratione animus distrahitur. Quam denique studiose vitanda reliqua ab eorum officiorum sanctitate et cultu aliena.

Tum docete ac monete, quomodo dies festi colendi ac sanctificandi sint: ostendite indignissimum esse, sacris illis diebus, non modo a nefariis operibus illicitisque negotiis non abstinere, verum etiam religionis ac pietatis opera non praestare omni diligentia. Ac praeterea nefas esse, sacros dies ad maxima Dei colenda beneficia, summasque

Ei laudes persolvendas, ac debitum Sanctis honorem tribuendum institutos, ad illa traduci, quae ab illo cultu abhorrent, qualia sunt tripudia, ludi, choreae, spectacula, quibus ad turpes illecebras incitantibus salutis humanae hostis diabolus oblectatur.

Denuntiate item stata sacrorum temporum jejunia; docete quomodo jejunandum, quae peccati gravitas in violandis sacris jejuniis; quae praeterea christianae pietatis officia in Sanctorum vigiliis; quam sancte observandum quadragesimale jejunium. Statis autem solemnibus, vel Aduentus, vel Septuagesimae, vel aliorum temporum celebritatibus, praemonete fideles, atque diligenter instruite ad sacra illorum temporum mysteria sanctis pietatis officiis religiose colenda. Utque iis pro temporum solemnitatumque ratione illi instrui possint, saepe monete, ut dominicis aliisque festis diebus ad parochialem Ecclesiam conveniant.

Saepe autem ac diligenter eosdem docete, quam assidue orandum sit; quomodo et tacita supplicis mentis meditatione, et piis statis orationibus precandum. Monete praeterea sedulo ac frequentissime patres matresque familias, ut liberos, familiamque suam, ad pietatis christianarumque virtutum disciplinam religiose instituant.

Depositum custodi, inquit beatus Apostolus Paulus : id quod vobis singulis dictum esse putate, ut in grege, tanquam deposito fidei, curae vestrae commisso, diligenter custodiendo, ab omni peccati labe conservando, cogitationem, sollicitudinem, curam, studiumque omne collocetis. Parochiae igitur unicuique vestrum concredita viciniam, tum a caeteris vitiis omnibus singuli sollicite custodite, tum curate etiam, ne odia, simultates, inimicitiae, factiones, necnon temere jurandi, maledicendi, imprecandi pravae consuetudines, ac ne detractationes quidem in ea sint.

Vitia imprimis et peccata, ad quae populum procliviores esse animadverteritis, reprehendite atque exagitate. Nec vero dissimulate peccata, *sed annuntiate populo scelera ejus*; publice peccantes coram omnibus arguite, ut et alii timorem habeant. Idque agite spiritu fortitudinis Domini, et ut strenui ejus milites bonam militiam militate, nihil inde trepidantes. *Si ab increpatione vos*, monet S. Gregorius, *reticueritis, quia contra vos odia insurgere reformidatis, non jam Dei lucra, sed vestra quaeritis*. Non maledictis, non vexationibus, non calumniis, non alicujus generis contumeliis, illud vel increpandi vel palam arguendi officium deserite, modo Christi gloriae, et animarum saluti serviatis.

Rursus non aucupandae hominum gratiae studio id agere desistite; *servus Dei non essem, si hominibus placerem*, ait Apostolus. Vae vobis tacentibus, aut dissimulantibus! Si grex curae vestrae commissus perierit, sanguinem ejus de manibus vestris requireret justus et omnipotens DEUS. Si igitur peccatur, ne in increpationibus verba vestra blandientia sint, sed, ut a Spiritu Sancto scriptum est, *stimuli sint, et quasi clavi in altum defixi*. Instate opportune, importune, privatis etiam admonitionibus, consiliis, correptionibus, objurgationibus, ut peccantes, adjutrice divina gratia, in viam salutis revocetis. In usum etiam ita sancte revocate fraternam correctionem, ut non modo mutua christiana charitate vos ipsos corripiatis, sed reliquos item, praesertim Parochiae incolas, id caritatis et correctionis officium recte doceatis.

Ad sermonum vero, admonitionum, correctionum partes explendas, locos vobis comparate, praesertim ex doctrina Catechismi Romani, in quo magna cum populorum vestrorum salute et utilitate versari diligenter potestis: neque ad hoc multiplicis vestrae ecclesiasticae tractationis negligite adjumenta, quae aliunde utiliter capere potestis. Caetera autem officia, quae in Sacramentorum administratione, in assidua ad frequentem eorum usum cohortatione, in aegrorum cura, in aliis parochialis muneris functio-

nibus vobis praescripta sunt, praestate, atque exequimini accurate.

Videte imprimis ac perpendite, quae sint et quam religiosae muneris vestri partes: caveteque, ut in officiis et curae vestrae functionibus, non modo quidquam non committatis, sed ne omittatis quidem; cum in sacerdotali vita, pro muneris quod sustinetis ratione, tum graviores, tum longe plures, quam in caeteris hominibus, esse possint omissionis culpa.

Vos vero, qui visitationis munus geritis, in explendis muneris atque officii vobis commissi partibus, sedulo invigilate atque elaborate: onus quod sustinetis, quam grave sit, quam plenum curis, perpendite; tum, quam in eo vobis committendo spem fiduciamque Episcopus habuit, videte; tum efficite, ut ejus expectationi respondeatis, vigiliarumstrarum studiis, assiduaque sollicitudine.

Ecclesias, quae in uniuscujusque vestrum regione sunt, sedulo visitate, earumque partes singulas inspicite. Pervestigate in uniuscujusque Parochiae finibus, an aliqua publicorum peccatorum labes sit, an flagitia, quibus episcopali cura Episcopus medeatur, necesse sit.

Ecclesiarum item cultum, nitorem, caeteraque ejus generis omnia, curate vestra diligentia, quae

totis in Christo visceribus ab unoquoque vestrum expetitur.

Haec omnia et singula his monitionibus nominatim singillatimque expressa, vos omnes ac singuli, quorum interest, quanto potestis amore et pietate, non amplectamini solum et legite; sed mente animoque comprehendite, servate, omnique sollicita executione praestate, totosque vos ad cohortationum, admonitionum, decretorum et constitutionum rationem accomodate.

Quod omne ut faciatis, sicut Nos pro episcopali nostri officii munere vos commonefecimus; ita etiam unumquemque vestrum per unigeniti Filii DEI adventum, per Ejus crucem, perque animarum vestrarum salutem obsecramus, obtestamur, divinaque contestatione monemus... Cavete igitur, ne quem vobiscum paterno modo agentem, solliciteque monentem, et in conspectu DEI vos deprecantem auditis; eundem rursus, non in hac vita solum culpas vestras animadvertentem, sed in divino praeterea judicio easdem accusantem audiat.

At ipse DEUS et Pater noster, et Dominus JESUS Christus dirigat vias vestras, in omni sancta obedientia; exhortetur corda vestra, et confirmet in

omni opere, et sermone bono; ita, ut digne ambuletis vocatione, qua vocati estis, per omnia ei placentes: sicque sanctis vestrarum virtutum progressionibus probati, appareatis ante DEUM et Patrem nostrum in adventu Domini nostri JESU Christi cum omnibus Sanctis Ejus.

Dedimus in Aedibus Nostris Praesuleis Cracoviae die 2 Januarii, anno Incarnationis Dominicae 1834.

CAROLUS EPISCOPUS

(L. S.)



UR2554